



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustæ Vindelic., 1727

Dominica, quæ Vigilia SS. Epiphaniæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

14 Dominica quæ & Vigil. Epiph.
*trame sunt, nomini sancto ejus. Anni
crescunt pietate.*

Dominica quæ & Vigilia
SS. Epiphaniæ.

EXHÖRTATIUNCULA I.

ECce! defunctus est Herodes. O si
id recogitasset antea, non in tan-
tam incidisset tyrannidem! Amice! ut
in officio boni Christiani, aut sanctioris
Religiosi contineatur, discat quotidie
mori.

Instructio meritoria.

A manè & nocte pro omnibus defun-
ctis, ut constantem nobis impetrent
mortis memoriam, recitemus quotidie
psalmum *Miserere cum De profundis*. Et
si cœmeterium quoddam in vicinia, sin-
gulis diebûs ibi sepultos aquâ lustrali
consolemur, & dicamus: *Te ergo quæ-
sumus Domine Jesu! tuis famulis sub-
veni, quos pretioso sanguine redemisti.*

II.

AH! quid hoc? fugere debent cum
Jesulo Maria, & Joseph. Fugere,
quia

Dominica quæ & Vigil. Epiph. 15

quia eos pellit crudelis humanitas. Fili!
sequamur!

Instructio meritoria.

Et hodierna die per trinam visitationem nos quàm devotissimè cum his tribus personis detineamus coram Sanctissimo Altaris Sacramento, addentes in honorem septem dolorum, quos sustinuit Maria, 14. *Pater & Ave* cum Rythmo: *Stabat Mater*. Sint nostræ deliciae, esse cum Jesu, & pati cum Maria.

III.

O Gaudium! redeunt iterum Jesus & Maria cum S. Joseph. *Mortui enim sunt, qui pueri querebant animam.* Sic Deus providet illis, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Persecutiones breves, & momentaneæ sunt. Dabit & his Deus quoque finem.

Instructio meritoria.

Nunquam dejiciamur tempore persecutionum: est Deus nobiscum. Scit, cur, & quid perpetiamur? angariati igitur statim flectamus, & *Psalms graduales*

16 Dominica I. post Epiph. D.

les incipiamus. Confide fili! audiet nos Deus, quia Pater misericordiae est, & multae clementiae. Misericordiae Domini! misericordiae Domini! quia non sumus consumpti.

Dominica infra Epiphaniae
Octavam, seu I. post Epi-
phaniam.

EXHORTATIUNCULA I.

Heu! Maria perdidit Jesum, ac invenit denuo. Verum o quot sunt in mundo animae sine Jesu, quia in statu multorum peccatorum? misereamur, & ut inveniant, & cum invento semper permaneant constantes in gratia.

Instructio meritoria.

Recitabimus septem *Psalmos paenitentiales*. Agamus o fili! & praestemus id hodie, quod & egisse, nobis quondam expediet in sempiternum. Expedi autem, multum orasse pro Christiano populo.

II. Fi-